Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

in eo gloriam suam et multos filios dei qui erant dispersi congregaret in unum. misit in cor abbatis Stephani ad edificandam domum Clareuallis mittere fratres eius. et cum eis alios uiros religiosos. Quibus abeuntibus ipsum etiam dominum Bernardum prefecit abbatem. mirantibus sane illis tanquam maturis et strenuis tam in religione quam in seculo uiris. et timentibus ei tum pro tenerioris etate iuuentutis. tum pro corporis infirmitate. et minori usu exterioris occupationis.

Erat autem Clareuallis locus in territorio Lingonensi non longe a fluuio Alba antiqua spelunca latronum. et antiquitus dicebatur uallis absinthialis. seu propter habundantis ibi absinthii copiam. seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris et uaste solitudinis consederunt uiri illi uirtutis. facti de spelunca latronum templum dei et domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore deo seruierunt in paupertate spiritus. in fame et siti. in frigore et nuditate. in uigiliis et angustiis multis. Pulmentaria sepius ex foliis fagi conficiebant. Panis instar prophetici illius ex hordeo et milio et uicia: ita ut aliquando religiosus uir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam asportauit quasi pro miraculo omnibus ostendendum. quod inde uiuerent homines. et tales homines. At uirum dei minus ista mouebant. summa ei sollicitudo de salute multorum. que a prima die conuersionis sue usque ad hoc tempus tam singulariter sacrum illud pectus nostis possidere: ut erga omnes animas maternum uideatur gerere affectum. Erat ergo uehemens in precordiis eius sancti desiderii et sancte humilitatis conflictus. Modo enim seipsum deiciens fatebatur indignum. per quem fructus aliquis proueniret: modo oblitus sui estuabat flagrantissimo ardore. ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere uideretur. Sane fiduciam caritas pariebat: sed eandem castigabat humilitas. Contigit autem inter hec ut aliquando temporius solito surgerent ad uigilias. Quibus peractis cum usque ad matutinas laudes aliquanto longius super esset noctis interuallum. egressus foras et loca uicina circuiens orabat deum. ut acceptum haberet obsequium suum et fratrum suorum in eo quod diximus spiritualis fructus desiderio constitutus. Subito uero stans in ipsa oratione modice interclusis oculis. uidit undique ex uicinis montibus tam infinitam diuersi habitus et diuerse conditionis hominum multitudinem in inferiorem uallem descendere: ut uallis ipsa eos capere non posset. Quod quid significauerit iam omnibus manifestum est. Hac ergo uisione uir domini magnifice consolatus exhortatus est etiam fratres suos. commonens eos de misericordia dei nunquam desperare.

Cum uero ante instantem hiemem Gerardus frater eius cellerarius domus apud eum ductus quereretur ad necessaria domus et fratrum multa deesse: nec habere se unde ea coemeret. et urgente necessitate iam nullam reciperet uerborum consolationem.